

## **Traditiones Wizenburgenses (Ed. Glöckner) Nr. 74**

In nomine domini nostri Iesu Christi. Ego itaque Rumolt et coniunx mea Ruotsuinda cogitavimus pro remedium animae nostrae vel pro eterna retributione ut aliquid de rebus nostris tradamus ad monasterium Wizunburg quod est constructum super fluvio Lutra in honore sanctorum Petri et Pauli vel ceterorum sanctorum, ubi vir venerabilis Ermbertus episcopus seu abba preesse videtur, et ita fecimus sicut cogitavimus. Hoc est quod condonavimus ad supradictum monasterium: omnes res nostras in pago Alisacinse in villa quod dicitur Scalchenheim et infra Scalchenhememarca quicquid ad ipsam marcam vel ipsa villa aspicere videtur tam mansis casis pratis pascuis silvis aquis aquarumque decursibus pomeriis vineis cultis et in cultis cum omni adiacentia ibidem pertinendi tam de paterno quam de materno vel de quacumque attractu ad nos pervenit, et mancipiis his nominibus Wolfmunt Friduni Betta Gebahilt Hadubraht Birin Magubrant Thiotwar. Hoc tradidimus de iure nostro in iure dominationis vestre ad supradictum monasterium ut ipsi custores qui ibidem deo serviant, teneant atque possideant suisque successoribus proficiat in augmentum, et quicquid exinde facere voluerint, Christo propitio in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, nos aut aliquis de heredibus nostris qui contra hoc testamentum venire temptaverit aut inrumpere voluerit aut commutare voluerit, inferat una cum cogente fisco auri libras V, argenti pondus decim coactus exsolvat et quod repetit evindicare non valeat, sed presens donation omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum publice, factum testamentum sub die XIII kalendas iulii anno XX regnante Karolo rege. Et ut hoc testamentum firmior sit, manu propria subtersignavimus, et qui in presente fuerunt testes qui subscriberent et signarent rogavimus, stipulatione subnixa. Signum Rumolti et Ruotsuindae qui hanc donationem vel testamentum fieri rogaverunt. Testes: Winihart Thiotberth. Rantwig. Hildrih. Ratbald. Aldrih. Baldolf. Ego Hildiboto cancelarius scripsi et subscripsi.